

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Pro-Rector Academiae Fridericianae Ioachimvs Lange, S.
Theol. D. & Profess. Ordinar. Vna Cvm Directore, Cancellario
Et Reliqvis Professoribvs, ...**

Lange, Joachim

Halae Magdebvrgicae, [1722?]

VD18 90810325

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-196061



Ulcherrimus omnium ordo est inter Deum, Patrem Filium & Spiritum S. qui tres unum sunt, Pulcherrima inde series festorum, quæ *Patrem* dedisse nobis Filium, ut nostro hominum bono Filius homo nasceretur, ac mortem pro nobis susciperet: quæ deinde *Filium* cum gloria resurrexisse & ascendisse: quæ denique *Spiritum S.* a Patre in nomine Filii missum fuisse cælitus, commonefaciunt. *Paucis* diebus post canemus peculiari celebritate SS. & indiuiduæ *Trinitati*, & Trinitatis festo continuo per omnes Dominicas dies annum, veluti corona & coronide cingemus,

Merito etiam gaudemus omnes sancte de baptismo nostro, baptizati ex institutione redemptoris nostri

in nomen Patris ET Filii ET sancti Spiritus, ad oraculum illud æternæ veritatis Matth. XXVIII, 18. 19. 20. Inde deriuauit ecclesia omni iure regulam perpetuam, a catechumenis requirens professionem Christianæ fidei, valituram per omnes dies vitæ, ingressuram nobiscum in ipsam illam æternitatem, concentu sanctorum omnium obfignandam.

Sunt ex veteribus, qui Spiritum S. singulari ratione vocant Trinitatis *Vinculum*. Nititur quoque suo fundamento perantiqua illa *δοξολογία*, *Patri & Filio* cantari solita *in unitate Spiritus*. Alter dicitur *exultare in altero*, cum *Spiritus S. plenitudine, una originali æternitate remittentes*. Uniuerſi Patres uno ore testes sunt, *digessisse* se inuocationem SS. Trinitatis ex laudato Seruatoris mandato baptismali, ante ascensionem suam gloriosam dato. Luculenta sunt Gregorii Nyſſeni verba: *quænam est oratio nostra? Cum traderet Dominus salutarem fidem discipulis, Patri & Filio coniunxit etiam Spiritum S. Quod autem semel coniunctum est, id per omnia dicimus habere coniunctionem*. T. I. f. 851. Neque tamen præiudicium Filio & Spiritui S. comparatur, dum ad Patris personam precatio subinde dirigitur, quia vel sic credentis fide tota honoratur Trinitas; grauitè monente Fulgentio L. 2. ad Monimum. Atque ut recentiore etiam exemplo confessionis huius percipiatur diuinus odor, commendamus Vobis, o Noſtri, peculiarem libellum B. Jo. Arndtii de SS. Trin. qui
libris

libris de Vero Christianismo in maiore editione sub-
iunctus habetur P. 2. L. 5. Nostra enim omnium
maxime interest, vinculo hoc vere uniri cum Patre
& Filio, sicut se nobis in Scriptura reuelauit diuini-
tas, ne diuellamus beneficia, quæ SS. Triuitas con-
iunctim operari statuit, eo quod gratia Filii, dilectio
Patris, *κωνωια* Spiritus, sunt coniuncta. 2. Cor. XIII,
13. Eph. III, 16. Rom. VIII, 9. 1. Cor. III, 16. 1q.
XII, 3. Imò per ipsius huius doctrinæ cognitio-
nem, *amorem ac voluntatem Dei præceptorum facien-*
dorum consequimur, videntes hic, quomodo Deus
prorsus se nobis tradiderit cum omnibus, quæ possidet,
ut præsentis ope & auxilio in perficiendis præceptis
nos subleuet, PATER quidem omnibus suis creaturis,
CHRISTVS vero omnibus suis operibus, porro autem
SPIRITVS S. omnibus suis dotibus. Ita Lutherus
in cat. mai. p. 502. 504. 496. præter ea, quæ
hanc in rem ibi Latine leguntur p. 666. 781. 815.
O quam beata seruitia hoc in suavissimo vinculo!
Sola scilicet vera felicitas hoc sub consortio, pax so-
la vera, vera conscientia serenitas, vera dexteritas
humilitatis sub custodia.

Quod si vero illud etiam contemplemur myste-
rium, quod Spiritus S. qui procedit a Patre & Fi-
lio, prædicationem de Christo crucifixo & resuscita-
to, talem inquam, prædicationem *παράδοξον*, effu-
sione suorum charismatum sollemnissime confirmaue-
rit, realissimaque *ἀποδείξει* & apologia publice vin-
dica-

dicauerit coram ipso mundo, id certe diuinitatis folius documentum est. Totus liber Actorum Apostolicorum Paschalis & Pentecostalis est. Sed quo praescripto lemmate? quo themate? Audite. *Hunc, quem interemistis, suscitauit DEVS, solutis doloribus. Dextera igitur Dei IS exaltatus, & promissione Spiritus S. accepta a Patre, effudit hoc, quod nunc vos (impletum) videtis & auditis.* Act. II, 23. 33. 36. 38. IV, 8. 10. 20. 25. 31. V, 29--32. X, 38. 39. 44. 45. 47. Ita id, quod supra omnem fidem humanam est & Angelicam, omnipotens DEVS, solus sapiens & verax, re ipsa fecit fide dignissimum, vere dignum superiore schola caelestique academia. I. Tim. I, 15. 17. III, 16. *Nam quia non cognouit mundus DEVM per suam sapientiam, placuit DEO per stultitiam (apparentem eiusmodi inaudite) praedicationis saluos facere credentes, hocque testimonium tam efficaciter confirmare.* I. Cor. I, 6. 17--21. sq. Quicquid autem spumat & rurget, ex spiritu mundi vano est. I. Cor. II, 2. 4. 7. 12. Cogitate ergo, quid Saluator optimus vale dicturus dixerit de *Spiritu veritatis*: *non loquetur a semet ipso, sed de meo accipiet.* Ioh. XVI, 13. 14. 15. Ideo etiam fauor mundi immundi caprandus nequaquam est, si consortes esse velimus puri Spiritus. Paucis abhinc diebus de alio audiuius commercio, ex Ioh. XV, 25. 26. 27. XVI, 1--8. *Communicantes Christi passionibus gaude,*

de, quoniam in hac *novitia Dei Spiritus* blando solatio *requiescit super vos.* I. Petr. IV, 1. 6. 13. 14. 1, 2. II. 12. 22. Eadem enim in via, qua placuit DEO sanctissimo disponere demonstrat omnem totius Christianae religionis, incedere vult DEVS singula membra Christianae ecclesiae; nisi carere quis malit caelesti ac spirituali benedictione. *Effundam Spiritum gratiae & precum, ut respiciant ad me,* mens est perpetua Redemptoris, quem *foderunt.* Zach. XII, 10. IV, 6. IO. XIII, 1. XIV, 8. Non oportet ita sentire & agere, ac si parum indigeamus inuocatione boni Spiritus per Christum, vel ac si non ita grauer laboramus lue peccati originalis, sed sanis ipsi iam polleamus viribus liberi arbitrii. Fugiamus omnem fastum, adulationem, rancorem, omnemque immunditiei ac luxuriae & otiosae euagationis impetum. Armemur verbo DEI, nec ab eo nos ita separemus atque abalienemus. Olim poenitebit: modo non nimis sero! Destituet eum Spiritus diuini solatium, quem pudet Christi crucifixi. *Bibamus pietatis dulcedinem, ut Esdras praecipit.* Gaudeamus in apostolorum & prophetarum choris. *Exultemus munere sancti Spiritus, & letemur digne Domino, in hac die quam fecit Dominus.* Ita Nyssenus iterum T. I. f. 831. T. 2. f. 177. PATER, *ut servum redimat,* Filio non parcat. FILIVS *libentissime se tradit.* Ipsum
Spi-

¶ (o) ¶

*Spiritum S. uterque mittit. Et ipse SPIRITVS S.
postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. O du-
ri & indurati filii Adam, quos non emollit tanta to-
tius adorandæ SS. Trinitatis benignitas! Bernh. 2. &
3. in Pentec. P. P. Halæ Magdeb. feriis Pentec.
A. M DCC XXII.*

HALÆ MAGDEBURGICÆ

Typis JOANN. CHRISTIANI HILLIGERI,
Acad. Typogr.

